Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd omnes sacerdotes domini oporteat doceri, vt cæteros instruant & sibi proficiant. cliiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

De eadem re. *Cap.* CLIII.

Ex cōcil. Venetico, cap.1.

CLericus qui intra muros ciuitatis manet, & ea die matutinis hymnis ſine ęgritudine defuerit, ſeptem dies à communione habeatur extraneus.

Quòd omnes ſacerdotes domini oportet doceri, vt cæteros inſtruant, & ſibi proficiant. *Cap.* CLIIII.

Ex epiſt. Anacleti papæ omnibus fideli. miſſa. ca.10

DOceri ergo omnes oportet, qui domini ſacerdotio funguntur, & vt cæteros inſtruant, & ſibi proficiant. Scriptum eſt enim: Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et alibi: Populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit & faciet, & docti in populo docebunt multos. Ipſa enim veritas per ſe infert, & dicit: Beatus eſt qui non fuerit ſcãdalizatus in me. Ille procul dubio eſt ſcandalizatus in Deum, qui rectè non docet, & qui eius ſcandalizat epiſcopum vel ſacerdotem.

Vt ſinguli presbyteri ſingulis annis ſuo epiſcopo de miniſterio ſuo rationem reddant. *Cap.* CLV.

Ex cōcil. Mogun. à Ricolfo eiuſdē. ſedis archiepiſco habito, cap.3.

VT vnuſquiſque presbyter per ſingulos annos epiſcopo ſuo rationem miniſterii ſui reddat, tam de fide catholica, q̃ de baptiſmo, atq; de omni ordine miniſterii ſui.

Vt omnis presbyter ſibi ſubditos fidem diſcere conſtringat. *Cap.* CLVI.

Ex cōcil. Gãgren. cap.5.

SYmbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & orationem dominicam, diſcere ſemper admoneant ſacerdotes populum Chriſtianum. Volumusq; vt diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſiue in ieiunio, ſiue in alia caſtigatione. Propterea dignum eſt, vt filios ſuos donent ad ſcholam, ſiue ad monaſteria, ſiue foras presbyteris, vt fidem catholicam rectè diſcant, & Orationem dominicam, vt domi alios edocere valeant. Qui verò aliter non potuerit, vel in ſua lingua hoc diſcat.

Qualem profeſſionem presbyteros, aut diaconos ſuo epiſcopo oporteat facere, quando per parochias conſtituuntur. *Cap.* CLVII.

Ex cōcil. Toleta. 5. ca 27.

QVando presbyteri aut diaconi per parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem epiſcopo ſuo fa-